



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 135. Principes Pictavium delati, apertisque urbis foribus haud
reluctanter excepti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

prævenerat, ut urbem valido præsidio Sæcul. XVI.
A.C. 1560.
firmaret: plerique tamen, præcipue vero Provinciarum Deputati hæc comitia accedentes ob tam copiosum armorum numerum obstupefacti hærebant, cumque per omnes vicos, & plateas ubique dispositæ cernerentur militum cohortes, cunctaque veluti ad obsidionem spectare viderentur, mirabantur plerique, quod juvenis Rex summa clementia insignis, & a nemine injuriis affectus, militari præsidio egeret. Tum etiam sancitum, ut quisque suam fidei professionem juxta normam a Sorbonicis Theologis ante octodecim annos præscriptam ederent, qui vero id facere recusarent, vita, & bonis mulctarentur: porro hoc factum creditur ex consilio Marefcallorum Santandreani, & Briffaci, præcipue vero Cardinalis Turnonii, qui nuper Roma redux singularibus honorum signis a Guisianis Principibus excipiebatur, ut hi veteris injuriæ Cardinali illatæ memoriam hoc obsequii genere delerent.

§. CXXXV.

*Principes Pictavium delati, apertisque
urbis foribus haud reluctanter
excepti.*

Attamen e variis urbibus ad Navarræ Regem, & Condæum Principem

Sæcul. XVI. submittebantur literæ, quibus ambo
A. C. 1560. haud ulterius progredi, sed denuo re-
 verti rogabantur: nihilominus Georgius
 Armeniacus Cardinalis, qui Vertolium
 usque in Engolismensi agro tam Regi,
 quam Principi obviam ibat, eisdem tan-
 tam securitatis fiduciam inspirabat,
 ut iter suum prosequerentur: postquam
 vero Pictavium pervenerant, Montpela-
 tus hujus urbis Præfectus, ac in qua-
 dam equitum ala Guisii Ducis Tribu-
 nus portas adventantibus occludi præ-
 cepit, eosque ab urbis introitu prohi-
 buit. Ea injuria, ut par erat, graviter
 offensus Navarræ Rex, cum Regis, ac
 Reginæ Matris jussa obtenderentur, Lu-
 signanum digressus, ibidem literas ad
 Aulam dedit, plures tamen ex ejus
 amicis, cum Navarrus eorum consilia
 rogaret, suadebant, ut inopinum hunc
 eventum in rem suam verteret, ac po-
 tius confestim rediret, quam Guisianis
 Principibus juratis suis hostibus, qui
 ad tuendas privatas res suas de Regis
 causa agi obtendunt, sese traderet,
 præcipue, cum tutius e longinquo, si
 quid hostile a Guisianis ingrueret, sese
 opponere valeret. Ast Navarræ Rex,
 cum se nullius criminis reum crederet,
 suorum monitis acquiescere renuebat,
 ratus, quod sua fuga abunde hostibus
 suis satisfactum foret, cum hi duntaxat
 quæ

quærent, ut sibi solis rerum summa potiri liceret, hinc sua innocentia tutus ob datam a Rege fidem nihil sibi timendum putabat, nec majori negotio Condæus Princeps fiducia sui ipsius deceptus in eandem sententiam pertrahebatur: itaque ambo Pictavium regrediuntur, jussuque Reginæ Matris a Paulo Thermo Marescallo perhonorifice excipiuntur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

§. CXXXVI.

Ambo Aureliam ingressi.

Ergo ambo Principes Pictavium ingressi Lochas usque iter suum prosequuntur, comitante eos præfato Thermo cum copiis suis utriusque latera stipantibus, licet remotius id fieret, ne jam pro captivis haberentur. Tandem die trigesima Octobris Aureliam intrabant, solo Monpensero Duce, & Rupifurionio Principe cum exiguo admodum comitatu eisdem obviam progressis: ubi cum Navarræ Rex pro dignitatis suæ prærogativa in Regis hospitium, quod in Grolotii Aurelianensium Prætoris ædibus sibi selegerat, equo vectus ingredi vellet, portam aperire renuebant Satellites, quapropter hi duo Principes equis suis descendere, ac per ostiolum pedibus incedere cogebantur. Demum ad Regis conspectum ambo admittebantur,